



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CCLXXIX. Der Markgraf Otto schenkt dem Domcapitel einen Hof und zwei Hufen im Dorfe Niebede zur Pfarre daselbst, am 14. April 1369.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CCLXXIX. Der Markgraf Otto schenkt dem Domcapitel einen Hof und zwei Hufen im Dorfe Nibede zur Pfarre daselbst, am 14. April 1369.

Noverint universi tenorem presentium inspecturi, quod nos, Otto, dei gratia Brandenburgensis marchio, sacri Romani imperii archicamerarius, comes palatinus Rheni, Bavarie dux, ob honorem et laudem omnipotentis dei et gloriosissime genitricis virginis Marie ac beati Andree apostoli, et ob hoc precipue, ne cultus divinus, quem modis omnibus affectamus augeri, in villa Nybede, Brandenburg. diocesis, propter paupertatem et exilitatem reddituum ipsius ecclesie, quibus rector ejusdem sustentari debet, detrimentum aliquod in divinis officiis patiatur, appropriavimus et per presentes sollempniter appropriamus curiam et duos mansos in villa Nibede predicta, quos quidam mansos et curiam a Petro Katherine, qui predictos curiam et mansos hereditarie hucusque inhabitavit et coluit et a strenuo viro Henningo de Griben, qui eisdem a nobis in pheodum hactenus tenuit et possedit, discretus vir dominus Johannes de Havelberge, rector ecclesie parochialis ville predictae ad emendationem ejusdem ecclesie pro anime sue salutari remedio et perhenni sui memoria pro sua pecunia comparavit cum omnibus, juribus, commodis, honoribus, fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus et pertinentiis quibuscunque, quibus predicti Petrus hereditarie et Henningus pheodaliter tenuerunt et hactenus possederunt; exnunc inantea justo proprietatis titulo et vero dotis nomine ad suprascriptam ecclesiam parochialem in Nybede pacifice et quiete perpetuo ab exactionibus, impositionibus, servitiis debitis seu consuetis ac oneribus secularibus quibuscunque liberos et exemptos existeri, plena et ecclesiastica immunitate gaudere, renuntiantes pro nobis, heredibus et successoribus nostris omni juri, actioni ac impetitioni, quod aut que nobis in predictis bonis competit vel competere poterit quomodolibet in futurum. In cujus rei testimonium sigillum nostrum duximus presentibus appendendum presentibus reverendo in Christo patre domino Theoderico, Brandenburgensis ecclesie episcopo, strenuis viris Johanne de Rochow, Hermanno de Wulkow, Haffone de Wedel, militibus, Nicolao de Bismark, curie nostre magistro, Gunzolino de Berthinsleben, Gebhardo de Alvenleben, Ottone Morner, curie nostre judice, Jano de Buk ac honorabili Rudolfo, preposito Stendaliensi, prothonotario nostro, cum ceteris pluribus fide dignis. Datum Berlin, anno domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono, feria sexta ante dominicam, qua cantatur: Misericordia domini.

Nach dem Original.

CCLXXX. Der Markgraf Otto bezeugt, daß ihn der Bischof in seinen Nöthen mit Geld unterstützt hat, am 25. Juni 1370.

Nos Otto etc. marchio, recognoscimus tenore presentium et fatemur, quod reverendus in Christo pater, dominus Theodericus, dei et apostolice sedis gratia episcopus Brandenburgensis, non ex necessitate alicujus obligationis seu debiti sed de mera liberalitate propter evidentiam et notoriam necessitatem de presenti nos urgentem, ne videlicet castra et munitiones marchie nostre Brandenburgensis ad alienas manus obligare compelleremur, propter obtinendas certas pecunias nobis necessarias hostilitatibus et inimicitiiis diversorum nobis inimicantium ad resistendum et munitiones nostras